Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1189
Quelle:
Copyright:

CCCIII. IX. F. 14.

499 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 177. 4. currente calamo exaratus haec complectitur: I. *In nomine domini Incipit liber qui dicitur Pharetra.* Non illa quidem contra *Judaeos*, quam jam e variis *Codd.* indicavimus, neque illa *Doctorum*, quae teste *Fabricio* et *Mansio* secundum ordinem Alphabeti progreditur, sed illa, quam Libris IV. distinctam et inter *Bonaventurae* Opera in edit. *Lugd.* 1668. T. VI. p. 99. receptam primus ἀνωνυμως impressit circa an. 1473. *Norimbergae Fridericus Creussner f.* cujus Exemplar tamen a nostro quibusdam in rebus abit, ut vel Prooemia conferendo patet. Dabo nostrum: *In nomine domini sequens opusculum compilatum est de diuersis originalibus diuersorum doctorum. Et dicitur pharetra. quia sicut iacula in pharetra reponuntur quibus hostis hostem ferit. vlnerat et deicit. sic etiam hic varie auctoritates fide dignorum. Que si manu fidei tenuerimus hostem antiquum procul dubio deiciemus. Distinguitur autem in IIII. libros. Primus dicitur de personarum varietate. Secundus de principalium viciorum et virtutum multiplicitate. Tercius de periculosis. Quartus de gracios is. Et primi duo libelli quilibet eorum continet L. capitula quia talis numerus iubilei est figuratiuus. Reliqui duo vnusquisque LXIIII. habet capitula.* Paullo aliter Impressa, quae et Capitum numero et distributione variant. Caput postremum nobis initio plura, fine pauciora, quam Impressa, continet, id, quod pronissimum in Opere, quod non nisi excerptis PP. locis constat. *Gregorius* M. paene per totum χορηγος est. Ad calcem notatur minio: *Explicit pharetra fidei Datum anno domini MCCCLXXVII. Finitus est liber in die sancti arnolfi.* Vide et *Cod.* DCXC.

II. *fol.* 134. absque titulo Exemplorum de Virtutibus et Vitiis variis congeries, quae primo ad Numerum C. progressa rursum a I. incipit et sistit in XXIII. Initium: *Quidam papa in honorem gloriose virginis capellam fecerat, in qua due lampades cottidie ardebant* &c. Omnia ad Seculi sui genium.

CCCIV. VIII. D. 2.

Codex membraneus lat. Sec. 263
XIV. Folior. 175. f. per duas columnas sat nitide scriptus continet *Excerpta ex variis PP. Operibus* hoc ordine: I. Congeries ex *Anselmo Cant. Hilario*, *Augustino*, *Hieronymo*, *Basilio* &c. de Deo, Trinitate, Statu Angelorum, et primorum Hominum, de Gratia et libero Arbitrio, de Operibus sex Dierum &c. Initium: *Ansel. in libro de concordia prescientie et liberi ar. Quere longam auctoritatem in tractatu de prescientia* &c. Materiae speciales per Marginum notas et hic et in toto reliquo Codice adcurate indicantur.